

huc vivente ipso marito caste vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit.

*Ex concilio Toletano IV, cap. 56.* De discretione viduarum sæcularium et sanctimonialium.

Duo sunt genera viduarum, sæculares et sanctimoniales. Sæculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quæ jam mutato habitu sæculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel ecclesiæ apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierint, juxta Apostolum, non sine damnatione erunt: quia se primum Deo voventes, postea castitatis propositum abjecerunt.

*Ex concilio Toletano, cap. 5.*

Omnes feminæ quæ jam in præteritum religionis veste fuisse probantur indutæ, nihil ad excusationem valeat oppositionum qualibet objectio, quamvis diversis aut callidis adumbrare se velint fallaciæ argumentis: sed ad sacratissimas sanctiones disciplina sanctior eas teneat religatas atque subjugat. Commoveantur sane sacerdotis auctoritate ut sponte redeant. Quæ si redire noluerint, impulsu sacerdotis ad religionis habitum reducantur, et in monasteriis redactæ excommunicationis condignæ sententia feriantur.

*In edictis piorum imperatorum.*

Si quis divinis mysteriis vel aliis sanctis mysteriis celebrandis in sancta intraverit ecclesia, et episcopo vel clericis, vel aliis ministris Ecclesiæ injuriam fecerit, jubemus eum tormentis subjectum in exsilio mori. Sed et si quis sancta oratoria vel divina mysteria in aliquo conturbaverit, capitali supplicio puniatur. Hoc eodem observando et in Litanis, in quibus episcopi vel clerici inveniuntur. Ut si quidem contumeliam fecerit, tormentis et exsilio tractatur: sin autem litaniam turbaverit, capitali periculo subiaceat. Non enim tantum volumus omnia

loca Deo dicata ab omni incursione libera, sed multo magis omnes episcopos et clericos eorum ab omni periculo esse tutissimos: ut quicumque præses vel judex, aut militaris, si contra eos manus aut contumelias inferre ausus fuerit, nullo pacto illud aliter expiare possit, nisi aut æterno exsilio, aut sanguine.

*In Taurinensi vel Aquileiensi concilio, cap. 9 et 15.*

Si peccatis agentibus contigerit post obitum aliqujus sancti episcopi, ut annus transeat, antequam substituatur in civitate ipsa unde decessit episcopus alter, quia hoc munus prævidere debent metropolitani, ne ultra mensem, vel multo plus tres menses, sine pastore vacua remaneat civitas, placuit nobis, ut abs modo culpetur metropolitanus pro tanta negligentia, et clerus ac populus, pro eo quod salutis memor non fuit, ut ad metropolitanum petiturus episcopum accurreret: et deinde ordinetur episcopus eis. Si autem ipsi de se talem non habuerint, aut providere sibi et eligere jubente metropolitano suo neglexerint, tunc judicio et potestate sua, electa apta persona, metropolitanus cum aliis episcopis ordinet et faciat episcopum, ne plebs Dei sine pastore sit vacua, et facultates ecclesiæ dispereant. Si tunc presbyteri aut majores civitatis non acquieverint, ut rebelles anathematizentur.

*In edictis piissimorum imperatorum.*

Jurent majores civitatis ad Evangelia de persona electa ad episcopatum, quod neque uxorem habuerit pro certam neque concubinam, neque sit curialis vel taxeota, sed sanctus et litteratus, et canonicas leges intelligens, et in clero vel monasterio nutritus, et tunc ordinetur. Sin autem hi qui debent episcopum eligere, talia secreta intra sex menses non fecerint, tunc metropolitanus propter periculum animæ suæ, omnibus his exquisitis quæ diximus, ordinet et consecret sua potestate clero et populis episcopum.

## XII.

### EXPOSITIONES HINCARI RIEMENSIS

AD CAROLUM REGEM

*Pro Ecclesiæ libertatum defensione.*

(Ex Actis prov. eccl. Rhem.)

#### EXPOSITIO PRIMA

CUI TITULUS: QUATERNIONES.

Licet antea quam nunc proxime Rhemis venerim, unde mox litteras dominationi vestræ direxi, quædam ex his de quibus scripturus sum, auditu compererim; plenius tamen non incerta relatione eorum postea historiam didici. Et ut in Ariulfi et Amalberti causa, quæ initio rationabili, scilicet sacris legibus non contrario, et aliquanto progressu, quia cum audientia episcopali, et non in loco publico, sed in privato et familiari examine cœpta est discuti, si eodem fine terminata fuisset, sermonem non occupem inde. Dicam undè plus doleo.

Audivi namque quia residentibus vobis cum fidelibus vestris, coram fratre et coepiscopo nostro Hincario, filius Liudonis ad vestram dominationem se reclamavit, quia isdem frater noster ab eo exe-

niunt acciperit, et patris sui beneficium ei donaverit, et deinde ab eo irrationabiliter tulerit; et ex hac ratione, forte minus necessaria gravitatis cautela, quæ in episcopo non modicum est ornamentum, adeo animus vestræ serenitatis fuerit motus, ut eundem episcopatum coram omnibus, et voce publica, quam plurimis contumeliis affeceritis, quæ sacerdotali ordini a nullo homine, minime autem a rege, in quem sicut et in episcopum, omnium oculi sunt intendentes, impeti competit; missa ante oculos et servata reverentia Dei, qui dicit, quod sanctus Paulus de sacerdote, est interpretatus: *Principem populi tui non maledices (Act. xxiii)*. Et: *Diis non detrahes (Exod. xxii)*, id est, sacerdotibus. Detrahit enim et ille sacerdotibus, qui contumelias irrogat. De quibus item Dominus dicit: *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (Psal. civ)*. Et: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi*



*mei* ((Zach. II) *Et : Qui vos audit me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit* (Luc. X.) *Et : Honorificantes me honorabo; et qui contemnunt me, erunt ignobiles* (I Reg. II).

Deinde jussistis præfatum episcopum, ut die et loco denominato veniret ad causas vestras, id est, ad sæcularia judicia, et suum advocatum de suo capite, videlicet de suo quod ipse egit actu, id est, non conscio quocumque coepiscopo suo, donaret. Qui mittens ad dominationem vestram, excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi mandavit. Requisita est quam patriotica lingua nominamus exonia, quia venire nequiverit; quod hactenus est inauditum.

Et requisito et non invento advocato illius, qui de ejus capite ex prædicta causa reddet rationem, excepta ecclesia et episcopii domo, ac clericorum claustris quidquid de rebus et facultatibus ecclesiasticis sibi id episcopali ordinatione munere Spiritus sancti ad gubernandum et dispensandum commissis acciperat, jussione vestra, per vicecomitem ipsius pagi, in bannum, quod jus lingua latina proscriptio confiscando vocatur, est missum.

Et postea, sicut audivi, per cancellarium palatii vestri, mandastis vicedomino, et præposito ipsius ecclesiæ, cum non modica interminatione, ut providerent quatenus nullum obsequium ab ecclesiæ ipsius hominibus, nullumque subsidium de facultatibus ecclesiasticis per clericum vel laicum ipse episcopus posset habere: et vicedominus laicos cum carris et operariis, et præpositus clericos habentes beneficia hoc secum adduceret. Et impletum est quod olim prædictum est: *Et erit sicut populus, sic sacerdos* (Isa. XIV). Nulla discretionis lege distans a vulgo. Et illud nihilominus quod more Scripturæ ponens præteritum pro futuro, prædixit beatus Joannes apostolus, cui cum aliis apostolis dictum est: *Beati oculi qui vident quæ videtis* (Luc. X), infelicibus oculis nostris videmus. *Et sol, inquit, factus est niger, tamquam saccus cilicinus* (Apoc. VI). In extremo quippe hoc tempore, sol quasi cilicinus saccus ostenditur, quia fulgens vita prædicantium, nos præcedentium episcopum, in nobis miseria ante sæcularium oculos aspera et despecta monstratur.

Et licet credendum sit de vestræ christianitatis religione, quoniam ad ipsius correctionem episcopi hoc egeritis; tamen miranda est vestra sapientia, quæ sic medicamentum illius vulnere temperavit, ut de medicamento ipso vulneraretur: cum Dominus mensuram in proximi dilectione talem ponat, ut proximum sicut nos ipsos, et non plus nos ipsos diligamus. Fama enim, quin potius infamia hæc, Burgundiam et Provinciam, atque Italiam penetrans, Romam perveniet; et per regnum nepotis vestri, non solum usque ad citeriorem, verum et usque Germaniam ulteriorem perveniet, Aquitaniam et Septimaniam per Neustriam volitans occupabit. Et quis oculum simplicem, id est, rectam intentionem, quam in vobis nescit, putabit: ubi factum

A Domino contrarium, et inimicum sacris canonibus, sicut beatus Leo scribit, Spiritu Dei conditis et totius mundi reverentia consecratis, quorum conditores in cælo cum Domino regnantes, et in terris miraculis coruscantes, adhuc nobiscum in constitutionibus vivunt; sed et legibus, quibus una cum eisdem sacris canonibus moderatur Ecclesia, constat adversum? Quid enim dicent de vobis qui audierunt quod detestabimini, et os reprehendebatis qui Dei ecclesias non venerabantur, et sacerdotibus honorem debitum non exhibebant, et præcipue Romano pontifici, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matri, cum audient quod illius filiam, ac per hoc illam ipsam, quinimo universalem Ecclesiam præjudicio potius, quam iudicio laicorum proscrispistis; quod nec in legibus, nec in libris ecclesiasticis quemquam christianorum principum fecisse legimus?

B Et talium etiam, ut fertur, quarundam personarum præjudicio istud commissum admissum est, quæ et in legibus, et in sacris canonibus infames personæ notantur. Et si vigor ecclesiasticus sic vigeret, sicut tempore antecessorum vestrorum, et nostrum prædecessorum viguit, inter criminosos, quia videlicet, ut a multis dicitur, criminosi, a liminibus Ecclesiæ forent extorres: nunc autem nostra dissolutione, ut quidam dicunt, in Ecclesiam ipsi insiliunt, qui ab Ecclesia separari debuerant. Et hoc nostris peccatis, in quos *finis sæculorum devenerunt* (I Cor. X), merito reputamus: qui ad nostram contumeliam, non ad Ecclesiæ gloriam sacerdotes dicimur, qui a talibus conculcamur; et ipsi de sacerdotum capitibus judicant, quorum iudicium vel compellationem, liberi et sani capitibus laici, in iudicio publico legaliter non reciperent, si rejicere vellent. In quo facto, ut sanctus Cælestinus scribit, « non est agentium causa solorum; universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur. »

C Novum est enim quod nunc factum est, quia non est sub isto cælo auditum, ut episcopus cum Ecclesia sua proscriptionis titulo ab ullo religioso principe, laicorum iudicio, usque modo fuerit confiscatus, postquam Constantinus magnus imperator legem universis clericis dedit, dicens: « Constantinus clericis salutem dicit. Juxta sanctionem quam dudum meruisse perhibemini, fundos et mancipia vestra nullus novis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis. » Cum enim dicit « nullus », nemo excipitur; verum in hac comprehensione etiam principalis potestas concluditur.

D Constantius quoque, licet arianus fuerit, et Constantinus, hanc immunitatem dederunt Ecclesiæ dicentes: « In qualibet civitate, in quolibet oppido, vico, castello, municipio, quicumque votum christianæ legis meritum eximie singularisque virtutis omnibus intinuerit, securitate perpetua potietur. Gaudere enim et gloriari ex fide semper volumus: scientes magis religionibus, quam officiis et labore corporis vel sudore, nostram rempublicam contineri. »

Valentinianus quoque et Valens decreverunt dicen-



tes : « Universos quos constiterit custodes ecclesiarum esse, vel sanctorum locorum, ac religiosis obsequiis deservire, nullius attemperationis molestiam sustinere decernimus. »

Arcadius nihilominus et Honorius : « Quaecunque, inquit, a parentibus nostris diversis sunt statuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa sanctas Ecclesias præcipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur, omnibusque qui ecclesiis serviunt, tuitio deferatur. Quia temporibus nostris addi potius reverentia cupimus, quam ex his quæ olim præstita sunt immutari. » Et item iidem : « Non tam novum aliquid præsentis sanctione præcepimus, quam illa quæ olim videntur indulta firmamus. Privilegia igitur, quæ olim reverentia religionis obtinuit, mutilari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus; ita ut hi quoque qui Ecclesiæ obtemperant, ipsius beneficiis perfruantur. » Et item iidem Augusti : « Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus et ministris, vel ipso cultui locoque aliquid importet injuriæ; quod geritur, litteris ordinum, magistratum et curatorum, et notariis apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum: ita ut vocabula eorum qui agnosci potuerint, declarentur. Et si per multitudinem commissum dicetur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicatur. Atque ita provinciæ moderator, sacerdotum et Ecclesiæ catholicæ ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus injuriam, capitali in convictos sive confessos reos sententia novorit vindicandum: nec expectet ut episcopus injuriæ propriæ ultionem deponat, cui sanctitas ignoscendi solam gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed et laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quod si multitudo violenta civilis apparitionis executione, et adminiculo ordinum possessorumve non potuerit præsentari, quod se armis aut locorum difficultate tueatur: iudices armatæ apparitionis præsidium, datis ad virum spectabilem comitem Africæ litteris, prælato legis istius tenore, deposcant: ut rei talium criminum non evadant. » Item iidem Augusti : « Si ecclesiæ venerabilis privilegia ejusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta: commissum quinque librarum auri, sicut etiam prius constitutum est, condemnatione plectatur. »

multa etiam hic poni poterant, quæ ab omnibus salubriter regnantibus, et juste judicantibus longo tempore conservata sunt; sed scio sapientiam vestram ex his quæ de decimo sexto libro Theodosianæ legis sunt posita, debere comprehendere plura.

Et horum imperatorum imitantes religionem antiqui etiam et moderni reges Francorum, immunitates ecclesiis et servis Dei facere consueverunt, quas qui

A non servant, de illorum elemosyna peccata sua accumulunt. Itaque cum de aliis memorabilibus imperatoribus ac regibus loquimur, avi vestri, magni imperatoris Caroli non est prætereunda memoria. Qui cum, sicut assolet, adulantium linguis subreptam fuerit, ut ecclesiis de rebus suis præjudicium quoddam inferret; obsistentibus episcopis, et specialiter Paulino patriarcha, sicut vobis bene notum esse cognosco, adeo se recognovit, et ecclesiæ ac episcopis satisfacit; ut præsens oris sui confessio ei non suffecerit, sed ad posteros suos, qui ex illius progenie exorturi erant, confessionis et correctionis suæ scriptum manu sua firmatum transmiserit. De quo edicto partem in libro vestro, qui appellatur liber Capitulorum imperialium, scriptum habetur, cap. 67 ubi scriptum est : « Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum: cuique non solum habita conservare, verum etiam multa Deo opitulante conferre optamus: tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus, ut neque nostris, neque filiorum, et Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiantur. »

Sicut enim Symmachus papa ad Æonium scripsit : « Non licet cuiquam decessorum suorum ordinationem sub necessitate qualibet transgredi: sed roborando quæ a decessoribus suis bene gesta sunt, facere debet rata esse quæ gesserit. » Unde non solum ea quæ a decessoribus et prædecessoribus vestris bene statuta sunt servando, vos firmitatem eis dare oportet, verum et illa quæ ipsi gessistis, et manu propria subscripsistis, et cum maxima obtestatione vos servaturos perpetuo præmittentes, in manibus sacerdotum ad vicem Dei tradidistis, ante oculos et mentis et corporis revocare debetis. Et non modica necessitas vobis incumbit, ut si contra ea in aliquo egistis, hoc quantocius emendare, et de cætero ne contra illa faciatis, cavere summopere procuretis. Quia enim post illam unctionem qua cum cæteris fidelibus meruistis hoc consequi, quod beatus Petrus apostolus dicit : *Vos genus electum, regale sacerdotium* (I Petr. II) episcopali spirituali unctione, ac benedictione regiam dignitatem potius quam terrena potestate consecuti estis: attendere subtili intellectu debetis, quoniam ad definitionem sancti Spiritus, quam synodali auctoritate protulit, excepti non estis: « Si quis, inquit, contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se honore privabit. »

Quod licet non fiat, sicut sæpe solet accidere, in oculis hominum, sit tamen semper in oculis Domini. Sed sicut superbiendo David : *Quia initium omnis peccati superbia* (Eccli. X) faciens contra professio-

\* Conc. Afric., can. 13.



nem suam, quam professus est, dicens : *Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, et ero humilis in oculis meis* (II. Reg. vi) prophetiae gratiam et dignitatem regiam, quam peccando perdidit, confessus coram Nathan poenitendo recuperavit. Et sicut Petrus faciens contra suam professionem, quam professus est dicens : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (Matth. xxv), quia tertio Dominum negaverat, tertio confessus, ut beatus ostendit Gregorius, coram omnibus apostolis; quia flevit amare, quod negaverat lacrymis lavit, et apostolatam, quem negando perdidit, confitendo, et flendo recepit : ita etiam quisque confitendo, et poenitendo, ac corrigendo quae perpeperit contra professionem et subscriptionem fecit, ad honorem redire, et in honore praevalere Domino miserante manere. Alioquin contra claves datas Ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est : *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* (Matth. xviii). Christus Jesus ut catholice tenet et docet Ecclesia, hanc praepositis ejusdem Ecclesiae tradidit potestatem, ut et contentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, quae satisfactio poenitentiae in ipsa jam cognoscitur confessione peccati, per reconciliationis gratiam restituerent. Et haec restitutio reconciliationis quomodo non sit contraria sacris regulis, hic ponere non permiserunt brevitas operis, et angustia temporis.

Haec namque cum aliis quae ibidem continentur, anno Incarnationis Dominicae octiagesimo quadragesimo quinto mense Aprili, anno sexto regni vestri, in Belgivaco [Beauvais] civitate cum maxima contestatione cunctis diebus vitae vestrae vos servaturos promisistis, eisdem episcopis, qui praesentes aderant, et caeteris regni vestri episcopis, qui corpore praesentes non aderant, et omnibus eorum successoribus, et omnibus episcopis in regno vestro consistentibus, et in manibus eorumdem episcoporum ad eorum petitionem dedistis :

I. « Ut jus ecclesiasticum et legem canonicam nobis ita conservetis, sicut antecessores vestri qui hoc bene et rationabiliter observaverunt, juxta quod scire poteritis, et Dominus vobis posse dederit, praedecessoribus nostris conservaverunt. »

II. « Quod in mea persona, nec in meo ordine, nisi forte quod absit, in antea contra Dominum et contra vos manifeste fecero, ut damnari canonice debeam, adversum me et meum ordinem ita damnabiliter non faciatis pro quacunque praeterita causa, ut mihi damnatio, aut dehonoriatio veniat. »

III. « Quod res ad ecclesiam mihi commissam pertinentes, et tempore vestri principatus ablatas ita praesentialiter restituatis et conservetis, sicut tempore avis et patris vestri fuerunt, et excepto superposito, quod in usus possidentium, vel ex aedificiis absumptum est, quomodo tunc erat, quantum ad hoc quod res usitato nomine appellamus constat, quod vos inde illas tulistis. »

IV. « Ut praepcepta illicita de rebus ecclesiae mihi commissae a vobis facta, rescindantur; et ut de caetero ne fiant caveatis. »

V. « Ut ab ecclesia mihi commissae indebitas consuetudines, et injustas exactiones de caetero non exactetis; sed sic eas conservetis, sicut tempore avi et patris vestri conservatae fuerunt. »

VI. « Ut contra depradatores et oppressores ecclesiarum nostrarum, et rerum ad easdem pertinentium defensionem secundum ministerium vestrum, quantum posse vobis Deus dederit, exhibeatis. »

VII. « Ut praepcepta quae avus et pater vester ecclesiis nobis commissis fecerunt, et firmaverunt, et stabilia conservaverunt, quae etiam vos conservastis, de caetero rata conservetis. »

VIII. « Quod si vos contra haec capitula, aut nos, quod absit, non malitia nec perverso studio, sed aut per humanam fragilitatem, aut per ignoranciam, vel subreptionem non damnabiliter egerimus mutuo hoc consilio corrigamus, et firmata deinceps convenientia maneat. »

Et haec sequentie apud Carisiacum palatium anno Incarnationis Dominicae octingentesimo quinquagesimo octavo, regni autem vestri decimo octavo xii Kal. April, vos servaturos episcopis et caeteris fidelibus vestris manu propria vestra firmastis : « Quantum sciero, et rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque vestrum secundum suum ordinem honorabo et salvabo, et honoratum et salvatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione, conservabo. Et unicuique competentem legem et justitiam conservabo. Et qui illam necesse habuerit, et rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo; sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare et salvare, et unicuique competentem legem et justitiam in unoquoque ordine conservare, et indigentibus et rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere; et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malivolentiam vel alicujus indebitum hortamentum devio bo quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero voluntarie illud emendare curabo. » Sed et alia ex hoc firmastis, quae hic non posui.

Et post haec omnia, et alia, quae saepe fidelibus vestris, et etiam in Carisiaco, quando veniam petentes, ab episcopis qui adfuerunt manus impositionem accepistis, quin et in villa Breona, promisistis : nunc tantam Landunensis Ecclesia, imo in ea omnis Ecclesia jacturam patitur, ut quod antea inauditum est, titulum proscriptionis sustineat, contra decreta omnium sanctorum episcoporum qui sedi apostolicae praesederunt; quorum omnium decreta hic nimis est longum inserere. Unde quaedam causa compendii studui ponere.

Ait enim sanctus Urbanus papa et martyr, hinc



inter cætera loquens : « Innitendum est omnibus et fideliter custodiendum, et ullius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur : quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure ponenda est, perpetua damnetur infamia, et carceri tradatur, aut exsilio perpetuæ damnationis deportetur : quoniam juxta Apostolum tradere oportet hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. »

Sanctus quoque Lucius omnibus episcopis in partibus Occidentalibus, tam in Galliis, quam et in Hispaniis consistentibus scripsit dicens : « Res ecclesiarum vestrarum, et oblationes fidelium, quas significastis a quibusdam irruentibus vexari, vobisque ac ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum. » Et post pauca : « Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit : qui autem pecunias vel res ecclesiasticas tulerit, sacrilegium facit. Unde et Judas, qui pecuniam fraudavit quæ usibus Ecclesiæ, id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, distribuebat jussu Salvatoris, cujus vicem episcopi tenent, non solum fur, sed et fur sacrilegus est effectus. » Et item post aliquanta : « Hæc fieri prophetæ, hæc apostoli, hæc successores eorum, et omnium catholicorum Patrum vetant decreta, et tales præsumptiones sacrilegia esse judicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, et Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, una vobiscum a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Et non solum eos, sed et omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. »

Et sanctus Stephanus papa et martyr : « Quidquid in sacratis Deo rebus, et episcopi injuste agitur, pro sacrilegio reputabitur. »

Et quia scriptum est : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (Matth. xviii), pro omnium hoc similiter decernentium sedis apostolicæ pontificum decretis ista tria luminaria ad illuminanda corda eorum qui in Deum credunt et jam atque mandata illius custodire desiderant, sufficere posse putamus. Episcopis autem res ac facultates ecclesiasticas, Domini et apostolorum ejus traditione, ipsius sanctæ et primæ sedis omnes pontifices commiserunt. De quibus propter prolixitatem operis, et brevitate temporis, et festinantiam, hæc ad vos transmissionis collectione, hic omnis connectere, et in suis locis, si vobis placet, potestis ex integro legere.

Sed et Antiocheni canones, ita inde præcipiunt : « Quæ sunt ecclesiæ, sub omni sollicitudine et conscientia bona, et fide quæ in Deum est, qui cuncta

<sup>a</sup> Conc. Antioch. an. 341, can. 24 et 25.

<sup>b</sup> Conc. Gangrens., an. 325, can. 7 et 8.

considerat judicatque, servantur : quæ etiam dispensanda sunt judicio et potestate pontificis, cui commissus est populus, et animæ quæ intra ecclesiam congregantur. » Et item : « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia et timore Dei. Participet autem et ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis, quam fratrum qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis. » Et reliqua.

Et Gangrenses canones dicunt : « Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. » Et item : « Si quis dederit vel acceperit oblata præter episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandum misericordiam pauperibus ; et qui dat, et qui accipit, anathema sit. »

Et adeo res et facultates ecclesiæ potestati episcopi, sancto Spiritu decernente committuntur : ut a magna synodo Chalcedonensi, etiam post mortem episcopi, redditus ecclesiæ viduatae futuro episcopo penes æconomum ejusdem ecclesiæ integre conservari jubeantur. De quibus sive vivente, sive defuncto episcopo, quicumque quocumque ingenio, unde gravetur ecclesia, per angarias vel indebitas pensiones exigunt, sine timore ne sacrilegium admittant esse non possunt : etiamsi violenter non rapiant, sed quasi prudenti ingenio injuste accipiant ; cum eos conscientia quacumque sinistra intentione in conspectu Domini corintuentis accuset. Præsertim cum Joannes dicat : « Si cor nostrum non reprehenderit nos major est Deus corde nostro, et novit omnia (I Joan. iii). Et Paulus : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est (I Cor. iv). Si quidem dicente Paulo : Sustinetis, si quid accipit (II Cor. xi), accipere. ut exponit Gregorius, interdum intelligitur rapere, unde et aves illæ quæ rapiendis sunt avibus avidæ, accipiunt vocantur.

Claret namque ex legibus quas probat Ecclesia, ejus inspiratione prolatis, per quem conditores legum justa decernunt, et ex sacris canonibus, quia contra divina jussa est, episcopum cum rebus et facultatibus ecclesiæ suæ titulo proscriptionis damnari, qui hanc potestatem divinitus per sacros canones habet, in quibus decretum est : « Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat, et hic contempsit ; invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, et quoscumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat et reddat aliena. »

Qui vero episcopus quilibet ex ordine ecclesiastico cleri, relicto ecclesiastico judicio ad publica judicia

<sup>c</sup> Conc. Chalcedon., can. 25.

<sup>d</sup> Conc. Tolet., an. 490, can. 11.



debeat, Paulus apostolus Spiritum Domini Christo in se loquente fortiter perhibet; quae auctoritate canones Carthaginenses praedicentes: « Quisquis episcoporum, presbyter et diaconorum, seu clericorum, cum in ei fuerit crimen institutum, vel civilis fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudiciali iudicio purgare voluerit, etiamsi prorit prolata sententia, locum suum amittat, in criminali; in civili vero perdat, quod si locum suum obtinere maluerit<sup>a</sup>. Et Africanum concilium: « Quicumque (scilicet clericorum) imperatore cognitionem iudiciorum petierit, honore proprio privetur; si aepiscopale iudicium ab imperatore postulaverit, obsit<sup>b</sup>. »

et leges, quibus cum sacris canonibus sanleratur Ecclesia, ita in decimo sexto libro sianae legis confirmant, sanciente Constantines: « Mansuetudinis, inquit, nostrae legemus, in iudiciis episcopos accusari; ne, dum ra ipsorum beneficio impunitas aestimatur, it ad arguendos eos animis furialibus copia. est igitur querelarum, quod quispiam defert; ios potissimum episcopos convenit explorari rtuna atque commoda cunctorum quaestio- udiencia commodetur. » Et interpretatio ejus- gis: « Specialiter prohibetur, ne quis audeat idices publicos episcopum accusare, sed in orum audientiam perferre non differat quid- si pro qualitate negotii putat posse compe- in episcoporum aliorum iudicio, quae asse- ra episcopum, debeant diffiniri. »

em Valens, Gratianus et Valentinianus: ios est causarum civilium idem in negotiis sticis obtinendus est, ut si qua sunt ex qui- i dissensionibus levibusque delictis, ad re- observantiam pertinentia, locis suis et a oeceseos synodis audiantur. » Et reliqua. rpretatio ejusdem legis: « Quoties ex qua- ad religionem pertinente inter clericos fue- contentio; id specialiter observatur, ut con- ab episcopo diocesanis presbyteris, quae in ionem venerint iudicio terminentur. » Et

teodosius christianissimus imperator, et beati sii, imo per eum Dei humillimus auditor ad n Augustalem in lata lege, ad locum: « Con- ge sancimus, nomina episcoporum, ve eorum lesiae necessitatibus serviunt, ne ad iudicia linariorum sive extraordinariorum iudicum antur. Habent illi iudices suos, nec quid- nis publicis commune cum legibus. Et reli- : item idem: « Clericos non nisi apud epis- accusari convenit. Igitur si episcopus aut ter, diaconus et quicumque inferioris loci inae legis minister, apud episcopos, siquidem on oportet, a qualibet persona fuerint accu-

ic. Afric., can. 15.

sati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo contra huiusmodi personas non probanda detulerit, aucto- ritate huius sanctionis intelligat se jacturae famae propriae subjacere: ut damno pudoris existimatio- nisque dispendio discat sibi alienae verecundiae im- pune insidiari, saltem de caetero, non licere. » Quae sit autem jactura infamiae propriae, quae sint per- sonae infames, leges romanae, ac canones, sed et decreta sedis romanae, pontificum multoties inde loquentes exponunt.

Inter quod beatus Stephanus sancto Hilario scri- bens, ita dicit: « Quod vero consulisti sedem apos- tolicam, qui sint infames, aut qui ad gradus eccle- siasticos non sint admittendi, et nosse te credimus, et pro auctoritate sedis apostolicae te informare non denegamus. Infames autem eas esse personas dici- mus, quae pro aliqua culpa notantur infamia, id est, omnes qui christianae legis normam abjiciunt et statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sa- crilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulcrorumque violatores, et apostolorum atque successorum eorum, et reliquorum sanctorum Pa- trum statuta libenter violantes; et omnes qui ad- versus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur. Similiter et incestuosos, homicidas, per- juros, raptos, maleficos, veneficos, adulteros, de bello fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tene- re, aut facultates Ecclesiae abstrahunt injuste; et qui fratres calumniantur aut accusant et non pro- bant; vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant; et omnes anathematiza- tos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos; et omnes quos ecclesiasticae vel saeculi leges infames pronuntiant. Hos vero non ad sacros ordines licet promovere, nec servos ante legitimam libertatem, nec poenitentes, nec digamos, nec eos qui curiae de- serviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedien- tes sanctorum decretis existunt, aut furiosi mani- festantur. Hi omnes nec ad sacros gradus debent provehi; nec isti, nec liberti, neque suspecti, nec rectam fidem, vel dignam conversationem non ha- bentes, summos sacerdo'es possunt accusare. » Et secundum Africae canones, criminosi, quos dicit Dominus ex his quae de corde procedunt coinqui- natos; quosque docet Apostolus a regno Dei exclu- sos: excommunicati etiam, et omnes infamiae ma- culis aspersi, omnesque quos ad accusanda publice crimina leges publicae non admittunt, ecclesias- ticos clericos nisi in propriis causis, accusare non possunt, nec ad testimonium adversus eos reci- piuntur.

Quia vero Christiani ac religiosi principes sicut et supra ostendimus, Ecclesiae clericos ad iudicia pu- blica trahi vel invitari noluerunt, vel permiserunt,

<sup>b</sup> Ibid. can. 104. Vid. conc. Rhem. an. 630, can. 18.



in edicto Honorii et Theodosii luce clarius manifestatur, et qualiter eum habuerint, qui hoc agere contra Dominum præsumpsit, in eodem edicto demonstrant dicentes : « Privilegia ecclesiarum omnium quæ sæculo nostro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus : scilicet ut quæcunque a divinis principibus constituta sunt, vel quæ singuli quique antistites pro causis ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii jugi solidata æternitate servantur. Clericos etiam quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. » Unde sanctus Leo, cum synodo Romæ habita Sermationi et cæteris episcopis scripsit, dicens : « Tantam sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt, etiam hi quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, ut jus distringendorum negotiorum episcopis sanctis, juxta divalia constituta permiserint. Quod cum et juris antiqui edictis, et illatis frequentius sit legibus confirmatum, præsentis tempore a plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio passim ad examen sæcularium transierunt. Quocirca nobis visum est ut hanc et sacrarum legum, et nostri ordinis contumeliam et ad præsens ulcisceretur plena districtio, et observandam formulam constitueret in futurum, Censemur itaque ut quicumque prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus a cœlesti arceatur altario. » Et reliqua quæ ibi inde prosequitur. Episcopi siquidem et ecclesiastici clerici, secundum apostolicam doctrinam et sacros canones ac leges, ex quarum sensu magna pars in eisdem, sed et in decretis sedis Romanæ pontificum ad regularia exsequenda iudicia habetur inserta, velut de singulis subter commemoratis ibidem potestatis relegere. « Si accusantur, in eis locis unde sunt ipsi accusati causa finietur. » Et : « Nemo eorum rebus vel suis facultatibus spoliatus a quocumque de quacunque causa interpellatus reddet canonice ac legaliter rationem, donec inde revestitus, et eis legitime usus, et sic demum ad iudicium regulariter sit evocatus. » Et : « Non de crimine neque de civili causa apud sæculares iudicari neque ad sæcularia iudicia debent invitari vel trahi, sicut tunc temporis fiebat quando Christi nomen ab infidelibus non reverebatur. » Unde Jacobus apostolus scripsit fidelibus : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos et ipsi trahunt vos ad iudicia (Jac. II).* Nec clericus, minime autem episcopus, publicis iudiciis se potest purgare, quia non potest ullius alterius nisi episcoporum et suorum regularium iudicium subdi vel teneri iudicio. Neque cuiquam licet episcopum, vel alicujus ordinis clericum quolibet modo damnare, nisi canonico episcoporum iudicatum iudicio, vel si causa exegerit, regulari eorum petitione. Quod autem et quibus modis excedens

A episcopus, ab aliis episcopis debeat corripi, vel iudicari, canones sacri demonstrant; quos qui diligenter advertit, in eisdem regulis comprehendit : quos et ego hic ponerem si necesse fore putarem.

De sibi autem commissæ ecclesiæ rebus ac mancipiis, quæ licet legaliter, nam aliter non debent, in bannum mittantur : tamen sicut ipsi melius scitis, sicut res hominum liberorum non possunt in fiscum redigi, quæ sunt Deo dicata, episcopus secundum leges quas Ecclesia recipit, et venerabiliter comprobata, et secundum sacros canones, ac decreta sedis Romanæ pontificum, advocatum publicis iudiciis dare debet. Ex capite autem suo tam pro crimine, quam pro civili causa, aut apud electos iudices, de quibus, et sicut sacræ leges diffiniunt, aut ipse in synodo coram episcopis debet reddere rationem : sicut Arcadius, Honorius et Theodosius edicto suo decreverunt dicentes : « Privilegia quæ ecclesiis et clericis legum decernit auctoritas, hac quoque præceptione sancta et inviolata permanere decernimus, atque hoc ipsi præcipuum et singulare deferrimus, ut quæcunque de nobis ad ecclesiam tantum pertinentium specialiter fuerint impetrata, non per coronatos, sed per advocatos, eorum arbitratu et iudiciis innotescat, et sortiatur effectum. Sacerdotes vero provinciæ erunt solliciti ne sub hac scilicet privilegii excusatione, etiam contra eorum utilitatem aliquid his inferatur incommodum. » In hoc namque capitulo evidenter ostenditur, quia de his quæ sunt Ecclesiæ, et quæ ab imperatoribus, id est, eorum liberalitate, ac per eorum leges collata ad ecclesiam pertinent, ecclesiastici clerici advocatos iudiciis, et non de se dare debent. Cum enim dicit : « Quæcunque de nobis ad ecclesiam tantum pertinentium specialiter fuerint impetrata, » non ecclesiastici clerici, minime autem caput episcopi, comprehendit, cui tuendi clericos curam committit. Et in primo libro capitulorum nostrorum imperatorum, vestrorum autem progenitorum, præcipitur : « Ut episcopi suffraganei ad metropolitanum respiciant. » Et, clerici ecclesiastici si culpam incurrerint, vel inter se negotium aliquod habuerint, apud ecclesiasticos iudicentur, non apud sæculares. Et S. papa Gelasius in decretis suis ad episcopos parvipendentes fratrum vexationes, cum digna increpatione scribit dicens : « Cur non compassi estis tantis fratribus vestris? Cur non adistis imperatorem? Cur non Ecclesiæ causam, et sacerdotum miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflevistis, allegantes nunquam de pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse? Non est humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis pontificibus. Obsequi solere principes christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem : episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare. Unde constat quia si non licet principi, nec cuiquam alteri licet, nisi episcopis de episcoporum capitibus iudicare. Quin etiam ipsæ leges publicæ ecclesiasticis regulis obsequentes tales perso-



nas non nisi ab episcopis sanxerunt judicari. » Et item Gelasius ad Anastasium imperatorem : « Duo sunt, inquit, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas; in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro regibus hominum, in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quoniam licet praesideas humano generi dignitate rerum, tamen praesulibus divinitatis intuitu devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis: inque sumendis caelestibus sacramentis, eisque ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praesesse. Itaque inter haec illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem publicae pertinet disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae; quo, oro te, decet affectu et convenit eis obedire, qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro divinitatis cultu quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cum debent parere, despiciunt. »

Unde, charissimum et venerabilissimum mihi caput, verbis B. Gregorii ex homilia Evangelii devotissimam Christianitatem vestram alloquar, dicens : « Si nos indignos et qualescunque sacerdotes forsitan digne despicitis, in mente tamen vestra vocatis vos per indignitatem nostram ad caelestia regna Domini reverentiam servate. Saepe enim solet evenire quod dico, ut persona potens famulum habeat despectum : cumque per eum suis forte, vel extraneis, aliquod responsum mandat, non dispicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis Domini : nec pensant qui audiunt per quem, sed quid, vel a quo audiunt. » Et si in nobis discernitis mores, et conversationem ac dignitatem meritorum, attendere tamen, et in Dei honore non solum venerari, sed et revereri debetis unum per omnes episcopos sanctissimum sacerdotium. Quia, ut S. Symmachus papa scribit : « Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites sacerdotium, » nec sanctius in justo, nec minus in peccatore. Sic et sol iste visibilis quando splendet in aurum, non ipse est pulchrior, sed aurum splendidius reddit. Quando autem radios suos emittit in firmum, clarius firmus quod est apparet. Sol autem cum radios suos inde retrahit, nullam inde immunditiam contrahit. Et sive sanctus, sive peccator sacramenta caelestia vobis tribuat, ipsa sacramenta in se sunt inviolabilia, et perfecta. Quia quisquis in nomine sanctae Trinitatis baptizet, ut evangelica veritas monstrat, super quem Baptista Joannes Spiritum descendisse, et in eo mansisse vidit, ipse est qui baptizat. Quisquis autem sacramenta caelestia catholice conse-

cret, qui dixit; haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, ipse est qui consecrat. Non igitur vilipendatis, si in nobis reprehensibilia videtis : quia quid in secreto suae divinitatis de nobis, vel de vobis disponat terribilis in consiliis super filios hominum, ignotatis. Recordari denique potestis vos mihi dixisse, quia sicut vobis dixeram, ordinem discussionis, quando quis de beneficio ab episcopo tulto ad vos se reclamaverit, qualiter ipsam rationem discuti jubere deberetis : ita et postea legisse vos contigit, et hoc antecessores, et progenitores vestros tenuisse, et vos velle tenere. Quem ordinem si tenueritis, et Dominum in vestra jussione non offendetis, et ecclesiasticam auctoritatem servabitis, et dignitatem vestram honorabitis, et aequitatem atque justitiam erga eum de quo reclamatur, et erga eum qui se reclamaverit, exsequemini. Et hoc sancti, et clarissimi progenitores vestri viderunt, et servaverunt. Et vos adulantium, et forte aliter quam severitas habeat vobis suggerentium linguis facile assensum contra vestram, quod absit, salutem, et ministerii dignitatem accommodare nequaquam debetis.

Porro episcopus dispositis quae sunt ecclesiae ac suis, ecclesiasticorum nihilominus, et pauperum hospitumque subsidiis, cum de rebus ecclesiae propter militiam beneficium donat, aut filiis patrum qui eidem ecclesiae profuerunt, et patribus utiliter succedere potuerunt; quoniam, ut quidam scripsit, nisi vitulus nutriatur, bos aratro non jungitur : aut talibus dare debet qui idonei sint reddere Caesari quae sunt Caesaris, et quae sunt Dei Deo : exceptis huiusmodi beneficiis quae ministris ecclesiae, et sibi necessariis, sine quibus esse nec debemus, nec possumus, tribuenda sunt, jubente Domino : *Non obturabis os bovi trituranti* (I Cor. ix). Qui homines militares studere debent ut secundum quantitatem beneficii illud erga episcopum, ac per hoc erga ecclesiam fideliter et utiliter deserviant, et regio obsequio ad defensionem generaliter sanctae Dei Ecclesiae proficere valeant.

A quibus, vel ab eo qui diu et ecclesiae utilitatibus, sed et specialiter ipsius ecclesiae ac necessitatibus profuit, et reipublicae ac militiae utilis fuit, et infirmitate vel aetate confectus jam per seipsum exsequi non valet, praecipue autem sibi servientem filium habenti, qui pro eo haec valeat exsequi; si episcopus beneficium quacunque occasione abstulerit, et a vicini episcopi monitis et precibus, vel cujus alterius, justitiam obtinere nequiverit, non abhorret a ratione si non accuset episcopum ad publicos iudices quod non licet, sed ad vos se reclamet. De beneficio militiae quasi de stipendiis et roga, quae antea, sicut hodieque fit alibi, dabantur militibus de publico, et aucta fidelium devotione apud nostrates, beneficia de rebus ecclesiasticis, quae sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonium pauperum, alimoniam Domini servorum et ancillarum, cum aliis exeniis obsecutoribus principis dispensandis, causa suae defensionis, regi ac reipublicae vectigalia quae



nobis annua dona vocantur, præstat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus : *Cui honorem, honorem ; cui vectigal, vectigal* (Rom. XIII) : subauditur, præstate regi ac defensoribus vestris. Qui ergo stipendia Ecclesiæ, cujuscunque sint ordinis, loci, vel dignitatis accipiunt, si pro illius salute, ac quietis honore atque defensione, sollicite et pro viribus non laborant, indigne, quin et judicium illa sibi usurpant. Quia sicut res et facultates ecclesiæ sunt episcopo ad disponendum ac dispensandum commissæ, ita regiæ potestati commissæ sunt ad defendendum atque tuendum.

Et per jura regum Ecclesia possidet possessiones; sicut S. Augustinus in sermone Joannis Evangelii dicit : « Leguntur, inquiens, leges manifestæ, ubi præceperunt imperatores, eos qui præter Ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid nobis, inquiunt, et imperatori ? Sed jam dixi, de jure humano agitur, et tamen Apostolus voluit honorari reges, et dixit, regem veneremini. Noli dicere : quid mihi et regi ? quid tibi ergo et possessioni ? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti : quid mihi et regi ? Noli dicere possessiones tuas, qui in ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. »

Et in lege data Ecclesiæ ab Honorico et Theodosio imperatoribus præcipitur, ut cum presbyteri vel diaconi, cæterique clerici apud episcopum fuerint accusati, episcopus hujusmodi causas, sub testificatione multorum actis audiat : quatenus si probati fuerint innocentes, plurimis innotescat. Et Apostolus dicit : *Oportet episcopum habere testimonium bonum ab his etiam qui foris sunt* (I Tim. III). Quoniam in palatio a reclamante divulgatum est, quod injuste fecerit episcopus : bonum est ut ejus innocentia, si juste egit, etiam sæcularibus innotescat. Et quoniam Sardicensis canones pro his qui iniqua vi opprimuntur, comitatum adire jubent episcopum, et reipublicæ militans apud vos se ab episcopo queritur spoliatum. Et sacræ leges ad judicium electorum judicium utramque partem, scilicet et querentem, et contra quem queritur (ut et decrevit Gregorius, de causis in legibus constitutis), mora cessante non tantum provocari, verum et cogi jubent ; si laica persona episcopale abnuerit eligere judicium; quod episcopo non licet refugere; ratio est, et non obstitit auctoritati, ut cum coepiscopis episcopi, contra quem ad vos pro beneficio sibi injuste oblato quis reclamatur ; quia indignum est vos ipsum inde laborare, missos vestros ab eo petitos, vel a vobis deputatos mittatis, qui utriusque partis rationem audiant, et secundum divinas et humanas leges discernant, et ecclesia jacturam in clamatore injustitiæ et homine inutili sustineat : et ne homo utilis et clamator justitiæ injustitiam, et detrimentum vestra militia patiat. Et hoc non in publico, sed in privato loco fiat. Ne sicut sacri canones dicunt, magnatis si

A forte excesserat : *Non est enim homo justus in terra,* ut Salomon dicit, *qui faciat bonum et non peccet* (Eccli. VII) : et apostolus : *In multis offendimus omnes* (Jac. III) verecundiam patiat : et episcopus, fratribus, et suis judicibus, secundum sacros canones dicentes : per episcopos iudices causa finiatur, obediatur. Et hoc modo militiæ vestræ legibus juste conditis, quia scriptum per sapientiam quæ Deus est, *Conditores legum justa decernunt,* (Prov. VIII), si justam querimoniam habet justitiam suam obtineat : si etiam injusta questus fuerit, os ejus legaliter, missis vestris decernentibus, obstruatur. Sicut enim sanctus Augustinus in sermone Joannis Evangelii dicit : « Juris forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit. Sed hoc inter homines. Quia potest falli homo, potuit falli imperator, quando preces misisti : dixisti enim quod voluisti : et cui dixisti, nescit an verum sit : dimisit te adversario tuo convincendum : et si ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille non præstare, nesciens an fueris mentitus, ibi careas ipso beneficio quod impetrasti. » Ipsam autem legem a tanto viro expositam, hic non vidi ponendam. Unde constat, quia si carere debet eo quod per mendacium impetravit, cautius est ut investigetur veritas, antequam per mendacium quiddam, nisi inquisitionem, impetret : dicente sancto et cauto rege : *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam* (Job XXIX). Et si episcopus a se electorum, vel a primate suo deputatorum episcoporum judicium, aut synodi canonicis judiciis, ut quod secus quam debuerit, egit, emendet, obedire noluerit, habemus inde sacris canonibus decretum judicium quod debeat sustinere. Et si homo vestræ militiæ vestris missis et legibus sæculi, ut ab injusto clamore quiescat, parere contempserit, habetur judicium in capitulis, de his qui vel injuste per calumniam super alios queruntur, vel qui judicatam repetunt causam.

Propterea, domine Christianissime ac sapientissime, providete vestræ saluti, providete honori, providete bonæ famæ quam longe lateque habetis, et de ecclesiarum ditatione, et de sacerdotum ac servorum Dei veneratione ; et nolite maculare illam gloriosam famam vestram, propter cujuscunque sordidiam : etiam nec pro cujuscunque ejectione, simulantes crudelitatem in actione, quam non habetis in mente, et facientes aut præcipientes quod dignitati nominis vestri non convenit. Legentes in libro Machabæorum, quid Eleazarus, cum a suis familiaribus quod famam suam non decebat, suaderetur, respondit : *Non, inquiens, ætatem nostram dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram* (II Mach. IV). Quod enim ille de corporis senectute dicit, vos in ministerii et nomi-



nis ac sapientiae dignitate necesse est intelligere, A dicente Domino ad Moysen : *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint* (Num. xi). Unde S. Gregorius : « Sicut plerumque juvenes dici solent, qui nulla consilii gravitate deprimuntur, ita senes Scriptura sacra vocare consuevit, qui non sola quantitate temporum sed morum grandævitate maturi sunt. » Unde per quemdam sapientem dicitur : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis et aetas senectutis vita immaculata. Hinc est ergo quod ad Moysen Dominus dicit : congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel quos tu nosti quod senes populi sint. In quibus quid aliud quam senectus cordis requiritur, cum tales jubentur eligi, qui senes sciuntur. Si enim senectus in eis corporis quæreretur, a tantis sciri poterant a quantis videri. Dum vero dicitur, quos tu nosti quod senes populi sint, profecto liquet, quia senectus mentis, non corporis eligenda nuntiatur.

Quia, Domine, charissima et venerabilis dominatio vestra, imo divina jussio mihi præcepit, et ego inde sum voluntarius debitor, ut quæ ad salutem, et vestri nominis ac ministerii dignitatem pertinere scio, non taceam, humiliter postulans moneo, quatenus sapientia vestra recogitet, et quod exordinatum est, ordinet, ne diutius hæc irreverentia erga Dei Ecclesiam maneat et quantocius scandalum in episcopos excitatum competenti satisfactione sedetur. Et ideo hinc tam inculcanter scribo, quia propter Regem regum tacere quæ saluti et utilitati vestræ necessaria esse cognosco, non audeo : ad cujus iudicium vos et ego in conspectu totius humani generis, omniumque angelorum atque archangelorum venimus ; ubi reddemus rationes, non solum de propriarum personarum actionibus, locutionibus atque cogitationibus : verum et de ministeriorum susceptorum officiis, qualiter in eis ea quæ ad ministeria pertinent, sincero corde et justis actibus egerimus ; dicente ipso : *Iuste quod justum est exsequaris* (Deut. xvi). Iuste ergo justum exsequi est in assertione justitiæ solam eandem justitiam quærere. Nam si quod mihi est dicendum et vobis est audiendum tacuero, illud vix incurrere timeo quod Dominus per prophetam nobis miseris sacerdotibus comminatur, dicens : *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas* (Ezech. xiii). Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere est cadentes a sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se dilectione reclinantes blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Sed hæc rectores qui semetipsos diligunt, his procul dubio exhibent, a quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis, timent.

Et idem Dominus per Moysen præcipuit ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, quatenus voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est : *Ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini* (Exod. xxviii). Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur : quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. De qualibus sacerdotibus Dominus dicit, *Canes muti non valentes latrare* (Isa. xiv). Et quibus in uno comminatur per Ezechielem prophetam dicens : Si sacerdos non distinxerit populo, ipse quidem populus in suo peccato morietur, anima tamen ejus de manu sacerdotis requiram. Non ait, quia extra peccatum populus est, non morietur, sed quia in suo peccato morietur ; sed populus quidem pro seipso tantum, sacerdos vero etiam pro populo. Et quia nos si tacemus, quæ ut dixit nobis dicenda, et vobis audienda sunt, peccatum incurrimus : et vos si audita, quod absit, non exauditis, a morte peccati liberi esse nequitis. Propterea intenta cordis aure devotio vestra percipiat, quod tonitruum divinæ comminationis terribiliter insonat. *Qui scandalizaverit, inquit, unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris* (Matth. xviii). Hæc enim pœna tunc temporis gravior inter alias putabatur.

Quanti, domine charissime, in unius ecclesiæ, et unius episcopi contra ecclesiasticas regulas præiudicio putatis scandalizati sunt, scandalizantur, et quicumque audierint, scandalizabuntur ? Quia, sicut dicit S. Paulus apostolus : *Cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (I Cor. xii). Quod enim quis videt in fratre, et in commissa sibi ecclesia, aut audit ex fratre, et ex commissa sibi ecclesia, quid putatis illum de se et de sibi commissa ecclesia posse conjicere, si eum et sibi commissam ecclesiam nutu divino in potestatem vestram contigerit devenire ? Non enim levi auditu eorum corda percelluntur, qui audiunt. Quia non de crimine per legitimos accusatores, sicut præcipiunt canones, apud primatem provinciæ accusatus : non ad synodum regulariter evocatus : non in iudicio præsens, non iudicium regulare refugiens, non in iudicio regulari contra eum aliis accusatoribus et aliis testibus productis, nec vel testium testimonio facta inquisitione, utrum ex auditu, an ex scientia fuerint testificati : non legaliter ac canonice de personis accusantium ac testificantium facta requisitione, cujus qualitatis et dignitatis, ac quantitatis fuerint : non causis actuum scriptis insertis, non licentia respondendi et defendendi illi concessa ; non de crimine vel exilii causa confessus nec regulariter convictus, non partibus præsentibus, id quod a suis iudicibus iudicatum fuit scriptis sententia recitata, non canonico et episcopali iudicio, ab ordine episcopali dejectus episcopus, suis rebus spoliatus, et cum eccle-



sua cuius res et facultates vel officio defuncto, vel morte perfuncto episcopo per æcononum futuro episcopo servari debent, contra omnes leges, et contra omnia jura, divina scilicet et humana, sæcularium præjudicio proscriptio est condemnatus; cum non tantum aut prave sentientes episcopi, aut majestatis rei, aut criminibus accusati, verum Arius et Eutyches presbyteri non nisi conciliorum judicio gradibus spoliati, et eorum decreto ab imperatoribus legantur proscripti, et in exilium deportati. Ego vero verbis non possum exprimere quanta constringar in mente angustia, quoniam per ora multorum audio volitare, quia homines omnium gentium, etiam et Judæi Christianæ legis inimici, passim legum suarum judicantur judicio: bubulcus quoque et subulcus, atque opilio habent legem: et contra omnem consuetudinem Christianorum principum, et contra præcepta Domini dominorum dicentis, et in propheta, atque in Evangelio, et in Apostolo, *Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Juste judica proximo tuo (Levit. xv); et: Si vere utique justitiam loquimini, juste judicate, filii hominum (Psal. xvii),* Quia: *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis (Matth. xvii.* Videlicet aut justo judicio damnabimini, pro eo quod fratrem injusto judicio condemnastis: aut juste judicantibus vobis justitia respondebit. Ergo sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari; hoc est, per legem libertatis, scilicet Evangelii, judicandi. Episcopus qualiscunque cum sua Ecclesia, legem ecclesiasticam laicorum ac quarumdam infamium personarum, non judicio sed colludio atque ludibrio, a vobis ignominiose proscriptus, habere non potuit. Unde legalis sententia, quam ut prædecessores illius, B. Gregorius in commonitorio Joanni dato decrevit esse canonicam, dicit: «Necesse est ut quod contra leges est actum firmitatem non habeat.» Et S. Augustinus in libro de vera Religione, dicit: «In istis temporalibus legibus quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt; tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium si vir bonus et sapiens est, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, nefas est judicare.» De qua B. Prosper dicit:

Lex æterna, Dei stabili regit omnia nutu,  
Nec mutat vario tempore consilium.

Nam si imperatores Romanorum suam legem æternam, vel perpetuam appellaverunt, multo magis lex illa æterna est, quæ est sancto Spiritu promulgata. De qua S. Leo post discretionem quæ in ea est ostensam dicit: «In his quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id novimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniat adversum.» Quæ, inquit S. Cælestinus,

A «a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permessa frangatur?» Et sacrum Carthaginense concilium sub Grato episcopo dicit: «De quibus aperitissime divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potius exsequenda. Nemo contra prophetas, nemo contra Evangelia, nemo contra apostolos facit sine periculo: et quæ facta vel dicta superius comprehensa sunt, vel aliis conciliis conscripta, quæ secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis vero statuta supergressus corruerit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est communionem, si clericus est honore privetur.» Quia ut S. papa Hilarius decernens dicit: «Non minus in sanctorum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur.»

B Qua de re flens dico, et corde mœrenti gemens pronuntio, quia nunc lex Domini irreprehensibilis nostris infelicibus et periculosissimis temporibus tantum vigorem non habet reverentia divinitatis, sicut antequam nomen Christi in honore per universum orbem fieret, leges Romanæ habebant timore imperatoris. Legimus quippe in Actibus apostolorum quoniam cum Paulus et Silas cæsi, in carcerem missi sunt, quia miserunt magistratus ut dimitterentur. Paulus autem dixit eis: *Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt. Non ita, sed veniant, et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc; timueruntque audientes quod Romani essent, et venientes deprecati sunt eos, et ejicientes rogabant ut egrederentur de urbe (Act. xvi).* Et item in eadem sacra historia: *Quia non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad ablucenda crimina (Act. xxv).* Et item cum torquendus esset, dicens se esse Romanum, dimissus est. Unde non perfunctorie audire debetis quod cælestis tuba Paulus apostolus dicit: *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis (I Cor. viii).* Et in sacra Regum historia scriptum est: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Dominus: si autem in Domino peccaverit vir, quis orabit pro eo? (I Reg. ii.)* Mementote facti memorandi Theodosii, et memorabilis viri Ambrosii, et quia excessit ut homo Theodosius, corripuit eum ut verus sacerdos Ambrosius, et recepit patienter atque humiliter per illum divinam correctionem Theodosius. Et ideo exaltatus est, et merito et nomine, et sanctitatis insigne super omnes post Constantinum Romanos imperatores. Felix ille imperator qui suo tempore talem habuit sacerdotem, qui post dignam pro excessu satisfactionem fecit illi ponere, et confirmare legem, ut si moto animo severius vindicare in aliquos princeps quisque decerneret, ministri republicæ usque ad triginta dies eandem legem exsequi non auderent, donec refrigerato animo, et in se reverso, quid verum esset, videret, et exsequi quod ju-



stum. esset, decerneret. Nam impedit ira virum ne possit cernere verum, quia, ut quidam sapiens dixit, cogitationes iracundi viperæ sunt generationis; prius enim mentem comedunt, matrem suam. Et Apostolus: *Ira, inquit, viri justitiam Dei non operatur (Jac. 1)*. Et felix sacerdos Dei Ambrosius, qui in tempore talis fuit imperatoris. Scriptum est enim: *Beatus qui enarrat justitiam auri audienti (Eccli xxiv)*. Felices quoque ambo, et sacerdos et imperator, Quia ne ira Dei pro excessu descenderet super imperatorem, habuit suo tempore sacerdotem, de quo non questus est Dominus, quod de nobis modo queritur dicens: *Quæsi unum qui interponeret sepem et staret oppositus contra me, ne dissiparem eum, et non inveni (Ezech. xxi)*. Hinc est quod Isaias nostræ miseriæ et calamitatis in se sumens personam graviter coram Deo deplorat, dicens: *Omnes nos cecidimus quasi folium, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos, nec est qui invocet nomen tuum qui consurgat et teneat te (Isa. lxiv)*. Quomodo enim nos illum irascentem tenere et placare possumus, qui, ut sanctus Gregorius conqueritur: « Ad exteriora negotia delapsi sumus, et aliud ex honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus; ministerium prædicationis relinquimus, et ad pœnam nostram, ut video, episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. » Et: « Relinquunt namque Dominum hi qui nobis commisi sunt, et tacemus; in pravis actibus jacent, et correptionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficitur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ, a cœlesti desiderio obdurescit animus, et dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea moliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei; » et reliqua quæ ibidem idem sanctus de negligentibus sacerdotibus prosequitur. Unde quanto minoris meriti sumus, ut Dominum contra vos, si iratus fuerit, tenere possimus, tanto magis non solum actus vestros corrigere, verum ne in præceptionibus vestris, quas vel verbo, vel scripto decernitis, vel decrevistis, sive decreveritis, quod absit, aliqua injustitia vel præsumptio sive indiscretio sit, sollicite providere debetis, timentes comminationem æterni judicis qui dicit: *Væ his qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, et pupillos deciperent. Quil facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cujus auxilium confugietis, et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta (Isa. x)*.

Et quia supra ostendi ex verbis beati Gelasii, duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur: au-

cloritas sacra pontificum et regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quantum etiam pro ipsis regibus hominum, in divino reddituri sunt examine rationem; solerter providere debetis, ne extra ministerium vestrum, sicut, Deo gratias, hactenus providistis, malum in sacerdotalem ordinem, et in his quæ eidem ordini Spiritus sancti dono commissa sunt, contra præceptum Domini extendatis, lectione frequentantes, et mente condentes quod scriptum est in secundo libro Paralipomenon: *Fecit, inquit, Ozias rex quod erat rectum in oculis Domini, et exquisivit Dominum. Cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus, et adjuvit eum contra Philistiim, et contra Arabas qui habitabant in Corbaal. et contra Ammonitus, et divulgatum est nomen ejus usque in introitum Ægypti propter crebras victorias: et habuit multa pecora, tam in campestribus quam in eremi vastitate. Vineas quoque habuit et vitatores in montibus et in Carmelo. Eratque homo agriculturæ deditus. Et fuit numerus totius exercitus ejus trecentorum decem millium et centum. Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum suum. Ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino. Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium, est istud officium. Egredere de sanctuario, neo contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratus est Ozias, et tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus; statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cumque respexisset eum Azarias pontifex et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra ob quam et ejectus fuerat de domo Domini (II Par. xxvi)*.

In quo facto, quia sicut Scriptura dicit: *Hæc autem in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos (I Cor. x)*, diligenter attendendum est quandiu Ozias Dominum coluit, pacifice regnum tenuit, et contra vicinas et alienigenas gentes crebras victorias habuit. Postquam autem officium non suum præsumpsit, sed in sacerdotale ministerium contra fas manum præsumptionis extendit, usque ad diem mortis suæ lepra plenus in domo separata permansit, et victoriam nullam fecit nec cum aliis qui bellabant bella Domini pro inimicis Israel, qui Ecclesiæ typum tenuerat, perfusus lepra, id est, gravi peccato percussus atque percussus habitare prævaluit. Sic et eorum judicio quibus dicit Dominus: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. x)*, et per quos eodem Spiritu sacri promulgati sunt canones: voluntarie atque ex deliberatione quiscun-



que violans et convellens constituta divina, quia docente Petro, *Non est personarum acceptor Deus* (Act. x), ab Ecclesiæ corpore separatus, nisi per penitentiam et sacerdotalis indulgentiæ reconciliationem eidem Ecclesiæ fuerit reincorporatus, erit ab æterna Ecclesia separatus. Unde et Apostolus præcipit, *Cum hujusmodi nec cibum sumere* (I Cor. v). Et item omnibus, Christo in se loquente, denuntiat dicens : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* (Ephes. v). Quam sententiam exponens beatus Augustinus, dicit : « Duobus modis non te maculat malus : si non consentias, et si redarguas ; hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus, ait : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*. Et quia parum non erat consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, magis autem, inquit, et redarguite. Videte quemadmodum utrumque complexus est : nolite communicare : nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem, magis et redarguite ? Reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa reprehensione vel coercitione aliorum peccatorum, cavendum est ne se extollat qui alterum corripit ; et qui se putat stare, videat ne cadat ; foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis ; neque negligentes, ut non arguatis ; neque superbientes, ut insultanter arguatis. »

Et nolite putare, domine charissime ac benignissime, quia quocunque carnalis propinquitatis affectu, vel quia tantum in episcopo Rhemensis provinciæ indignitati meæ commissæ ista sunt acta, commotus hæc scripserim ; sed zelo, de quo et in psalmo et in Evangelio scriptum est : *Zelus domus tuæ comedit me* (Psal. lxxviii), videlicet zelo universalis Ecclesiæ, quæ domus Dei est, et sacri ordinis sacerdotalis, quod unum in omnibus episcopis est, et officii meæ exiguitatis, legens electos Dei propter leges paternas, etiam mortem corporis appetisse, et in laudibus divinis Ecclesiam catholicam cantare sanctum : *Qui pro lege Dei sui certavit usque ad mortem* (II Mach. vi et vii). Vestræ nihilominus zelo salutis et optandæ nobis prosperitatis hæc scripsi. Tandem peto ut in hoc servitutis meæ obsequio diligentius discernatis, quoniam si quædam ibidem mordacius resonant, non mihi verba sunt sensus : quæ etsi forent, mansuetudo vestra debet modeste perpendere, quoniam adulator blandus est inimicus. Quod Scriptura dicit : *Quia meliora sunt vulnera amici, quam odientis inimici oscula* (Prov. xxvii). Non enim occupatam tenet vestram, sicut quorundam captivatam mentem possidet vobis bene noti sententia, quæ dicit : *obsequium*, id est, assentatio, videlicet adulatio, *amicos, veritas odium parit* : quia, ut veritatis amicus veritatem diligitis, scientes a Veritate dictum : *Cognoscetis veri-*

*tatem, et veritas liberabit vos* (Joan. viii). Inhæreat itaque menti vestræ quod beatus Augustinus dicit, quia dolosi vel imperiti medici est, sic vulnere emplastrum imponere, ut aut noceat, aut non prosit. Et supra posita quæ sine adulatione ad vestram salutem veritas per ora veridicorum protulit, vobis non displicebunt.

## EXPOSITIO SECUNDA

## CUI TITULUS : ROTULA.

Sacrum Carthaginense concilium dicit : « Quisquis episcoporum accusatur, ad primatem ecclesiæ ipsius causam deferat accusator a. »

Et item : « Quisquis episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, seu clericorum, cum in Ecclesia fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali. In civili vero, perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit b. »

Et Africanum concilium : « Quicumque, scilicet clericorum, ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur ; si autem episcopale iudicium postulaverit, nihil ei obsit. »

Et ut de legibus Romanis, et multis hic pauca ponamus, Gratianus, Valentinianus et Theodoricus constituerunt : « Ne quis audeat apud iudices publicos episcopum accusare, sed in episcoporum audientiam perferre non differat, quidquid sibi pro qualitate negotii putat posse competere, ut in episcoporum aliorum iudicio quæ asserit contra episcopum valeant diffliniri. » Et item imperatores constituerunt, ut in privatis causis hujusmodi causa servetur, ne quemquam litigatorum sententia non a suo iudice dicta constringat.

Et S. Leo sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifex in synodo Romæ habita, statuit dicens : « Tantam sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt, etiam hi quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, ut jus distringendorum negotiorum episcopis sanctis juxta divalia constituta permiserint. Quod cum et juris antiqui edictis, et illatis frequentibus sit legibus constitutum, præsentis tempore a plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio, passim ad examen sæcularium transierunt. Quocirca nobis visum est, ut hanc et sacrarum legum et nostri ordinis contumeliam, et ad præsens ulcisceretur plena districtio, et observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicumque, prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus a cœlesti arceatur altario. »

Et in primo libro Capitulorum imperialium domni Caroli et domni Ludovici scriptum est, cap. 8 : « Ut ad metropolitanum episcopum suffraganei episcopi

a Conc. Afric., can. 19.

b Ibid., can. 15.

Ibid., can. 104.



respiciant, et nihil novi audeant facere in suis parochiis sine conscientia et consilio sui metropolitani; nec metropolitanus sine eorum consilio. »

Et item in eodem libro, cap. 28 : « Ut si clerici vel monachi inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo dijudicentur; non apud sæculares. »

Et item in eodem libro, cap. 38 : « Ut clerici ecclesiastici ordinis si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos judicentur, non apud sæculares. »

Et hæc constituta sunt de his quæ ab episcopo, vel presbytero, seu diacono committuntur, sive in criminalibus, sive de civilibus, id est de pecuniariis causis. Cæterum de rebus et mancipiis, et mancipiorum commissis, episcopi ex Ecclesiis nobis commissis, vel de proprietatibus clericorum, advocatos dare secundum consuetudinem non abnuimus.

Ubi autem ea emendari debeant, quæ episcopi vel clerici in criminalibus vel civilibus committunt, leges manifeste demonstrant, dicentes multis decernentibus imperatoribus. Ex quibus omnibus hic legem Valentiniani et Valentis ponemus, qui decreverunt : Ut ultra provinciæ terminos accusandi licentia prohibeatur. »

Et hinc sacrum Carthaginense concilium statuit : « Ut accusatus et accusator in eo loco unde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes perducere, ubi causa finiatur. »

Et item leges dicunt : « Si quis adversarium aut repetitione aut criminis objectione pulsaverit, in provincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat, actiones, nec æstimet adversarium suum alibi, aut longius ad iudicium protrahendum. Ille vero qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare. »

Et S. Innocentius ad Victricium episcopum : « Si quæ, inquit, causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis, iurgium terminetur; nec alicui liceat, (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri), relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, et ab officio cleri submotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post iudicium episcopale referatur. » Unde Carthaginense dicit concilium : « Ut a quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, ubi major est auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravari. Sane si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam a pauciori numero quod constitutum est, non liceat provocari. » Qua-

\* Conc. Afric., can. 30.

† Conc. Carthag., an. 397, can. 10.

Aliter autem sententia finiri debeat, leges et sacri canones monstrant dicentes, ut vel in synodo, vel per iudices, sive quos conquirentibus primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.

Deputatos autem iudices episcopos, ut Africanum dicit concilium. « Ab illo primato sunt dandi, in cujus provincia causa versatur. Si autem ex communi placito conquirentes vicinos iudices elegerint, aut unus eligatur, aut tres; et si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum. »

Et Chalcedonense concilium dicit : « Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium, et ad sæcularia percurrat iudicia; sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utraque partes voluerint, iudicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonis correctionibus subiacebit. »

Et S. Gregorius ex legibus et sacris canonibus constituit scribens ad Bonifacium, defensorem Corsicæ, et vices agentem apostolicæ sedis, quas in istis regionibus primates provinciarum tenent : « Si quis, inquit, contra clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat. Qui si forte suspectus fuerit, exsecutor vel ab ipso, vel, si et hoc actor refugerit, a tua est experientia deputandus, qui partes sibi mutuo consensu iudices compellat eligere, a quibus quidquid fuerit definitum, ita vel tua, vel episcopi sollicitudine, servata lege, modis omnibus compleatur, ut non sit unde possint litigiis fatigari. » Et si laicus contra episcopum civilem, id est pecuniariam causam habuerit, episcopus admoneri vel compelli ab his quorum interest debet; similiter et laicus admoneri vel compelli debet a reipublicæ potestate, ut ad arbitrium, id est ad iudicium ex utraque parte electorum iudicium veniant, et eorum iudicio causa finiatur.

Sicut ad Malchum episcopum idem S. Gregorius ex legibus et sacris regulis scribens demonstrat : « Præterea, inquit, fraternitatem tuam præsentis præceptione curavimus admonendam, ut Stephanum episcopum ad eligendum compellas venire iudicium: et quidquid inter prædictum Joannem virum magnificum, et supradictum episcopum, electorum fuerit sententia definitum, ad effectum perducere non omittat.

Et hinc leges quas servat Ecclesia dicunt, observare autem specialiter iudices debent : « Ut in omnibus causis sententia quæ deliberata fuerit constitutis pariter partibus recitetur; ut ab his a quibus causa dicta est, ad integrum quæ dicta fuerit sententia cognoscatur, et quidquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habeat plenissimam firmitatem, nec poterit immutari. »

Et quia imperatores, qui suo tempore fuerit de pecuniariis causis ecclesiasticum ministrum, et reipublicæ administrantem, iudices ad causam de accusato episcopo, sicut leges et canones jubent, depu-

\* Conc. Chalcedon., can. 9.



taverunt, B. Gregorius in epistola decretali ad Joannem episcopum Larissæum demonstrat dicens : « Cumque porrecta appellatio per homines Hadriani episcopi, cæteraque quæ penes te gesta sunt, piissimis fuissent deportata principibus, deputatis, ut diximus, Honorato apostolicæ sedis diacono, et Sebastiano glorioso antigrapheo, cunctisque subtiliter examinatis, a serenissimis principibus sunt ab omnibus jussionibus absoluti. »

Unde leges quas probat Ecclesia : « Res, inquit, judicatæ videntur ab his qui imperium potestatemque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur. »

Et notandum, ut præmisimus, quoniam imperatores leges sæculi et Ecclesiæ conservantes, ad causam pecuniariam, id est civilem, inter episcopum et sæculares investigandam ac diffiniendam, cum ministro ecclesiastico administrantem reipublicæ deputarunt. Si vero episcopus aut veraciter, aut simulata infirmitate, aut alia qualibet occasione se dixerit non posse venire ad synodum, aut ad electorum judicium contra adversum se conquirentem, eligat sibi iudices, aut deputatos suscipiat, sicut ex legibus et regulis sacris præmisimus; et mittat pro se personam instructam ad locum, et diem destinatum, quæ executionem et diffinitionem legaliter et regulariter ad voces illius in electorum judicio prosequatur; et quod fuerit executum ac diffinitum, suscipiat observandum, sicut regulæ ac decreta sanctæ sedis Romanæ pontificum, sed et S. Gregorius sæpissime in epistolis suis ex legibus et regulis sacris agendum demonstrat.

Ex quibus unum de pluribus hic beati Gregorii decretum ponere censui, quod ad Fortunatum episcopum scribens : « Fraternitatem, inquit, tuam his hortamur affatibus, ut cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas, quæ aut in electorum, aut certe in deputatorum a nobis judicio, si qua pro tuis partibus sunt, agere, et adversariorum intentionibus ac objectis valeat per omnia respondere, ut veritate cognita, salubrem hic finem suscipiat. »

Et in epistola ad Sergium defensorem Siponti : « Experimentiæ tuæ præsentis auctoritate præcipimus, ut Fruniscendum admonere studeat, quatenus si quid de obstructu redhibere Ecclesiæ cognoscit, satisfacere dilatione postposita non desistat. Alioquin mora cessante ad electorum accedat te compellente judicium, et quidquid veritate cognita sacrosanctis evangeliiis fuerit statutum, ita ad effectum executionis tua instantia perducatur, ut hujus rei denuo ad nos querela non redeat. »

Et hic leges Romanæ, in re pecuniaria, tormenta, nisi cum de rebus hereditariis quæritur, non adhibent. Alias autem jurejurando aut testibus explicantur. Et si episcopus noluerit suis coepiscopis ac iudicibus a se electis, vel a primatibus deputatis

obedire, Africani concilii iudicium sustinebit, quo dicitur : « A iudicibus aut quos communis consensus elegerit, non liceat provocari; et quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet episcoporum, donec obtemperet. » Et si laicus quærens contra episcopum noluerit obedire iudicibus, a principe reipublicæ, et Ecclesiæ tutore ac defensore, et regia benignitate protectore.....

In capitulis imperialibus scriptum est, libro secundo : « De his qui injuste super alios querelas faciunt : ut si inde convicti fuerint, propter illam calumniam secundum legem et æquitatem justitiam reddant. »

Et hinc libro tertio scriptum habetur : « De his qui causam iudicatam repetere præsumunt, sed et de his qui legem observare contempserint, ut per fidejussores ad præsentiam regis deducantur. »

De his vero qui Romanis legibus iudicantur, decretum est : « Ut qui per calumniam injuriæ actionem instituit, extra ordinem puniatur; omnes enim calumniatores exsilii vel insulæ relegatione aut ordinis amissione puniri placuit. »

Regia igitur sollicitudo, a Rege regum et æquissimo iudice Deo, ut in directione cordis iudicium iudicetur, constituta, provide solliciteque providere debet, ut tales iudices cum episcopis ad causam inter ecclesiasticos et sæculares dirimendam eligat et constituat, qui religiosi sint, et Dominum timeant, et non muneris præmio, non favoris, vel propinquitatis, aut amicitie gratia, non indebitæ subjectionis obsequio, non alterius partis odio, personam accipiant in iudicio; sed absque contentione et livore, sicut ipsa Veritas dicit : *Non secundum faciem, sed iustum iudicium iudicent* (Joan. vii). Et hoc non in publico iudicii loco, sed in privato : quia episcopi non in consistorio regum, non in prætorio iudicium, nec nisi ab episcopis, in synodo, aut in privato loco a primatibus deputatorum, aut a se electorum iudicium iudicio debent aut possunt regulariter iudicari.

Et prætextato modo supradictas leges tam publicas quam ecclesiasticas in suis temporibus servari decrevisse didicimus antiquos imperatores, et prædecessores ac progenitores vestros, episcopis et viris ecclesiasticis : et nobis vestra dilectissima et benignissima dominatio servaturam se verbo et subscriptione promisit in Carisiaco : ubi hoc capitulum in consultu ac consilio fidelium vestrorum tam episcoporum quam et laicorum condidistis, et ei subscripsistis, dicentes : Quantum sciero, et rationaliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque vestrum, secundum suum ordinem et personam honorabo et salvabo, ei honoratum et salvatum absque ullo dolo et damnatione vel deceptione conservabo. Et unicuique competentem legem et justitiam con-

\* Conc. Afric., can. 122.



servabo. Et qui illam necesse habuerit et rationaliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare, et salvare, et unicuique competentem legem et justitiam in unoquoque ordine conservare, et indigentibus, et rationaliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere; et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium, aut malivolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero, illud emendare curabo. » Nos autem fideles vestri, episcopi, et cæteri laicalis ordinis qui adfuerunt, hoc capitulum et vobiscum condidimus et ei subscripsimus, unusquisque profitendo; «Quantum sciero et potuero, Domino adjuvante, absque ulla dolositate aut seductione et consilio et auxilio, secundum meum ministerium, et secundum meam personam, fidelis vobis adjutor ero, ut illam potestatem, quam in regio nemine et regno vobis Deus concessit, ad ipsius voluntatem, et ad vestram et fidelium vestrorum salvationem, cum debito honore et vigore tenere et gubernare possitis.

### EXPOSITIO TERTIA

CUI TITULUS : *ADMONITIO.*

Hanc legem decessores et prædecessores vestri reges Ecclesie servaverunt : quæ si aut per excessum principum, aut per negligentiam episcoporum aliquo modo violata fuit, tamen correcta, sicut in eorum capitulis legitur, existit. Vos etiam, decessores vestros sequentes, hanc legem ecclesiasticam servaturos Deo et nobis promisistis, sicut hic continetur.

In libro primo capitulorum imperialium, domni Caroli avi, et domni Ludovici patris vestri, in lege ab ipsis confirmata, Ecclesie et universis episcopis scriptum est, cap. 8. « Ut ad metropolitanum episcoporum suffraganei respiciant, et nihil novi audeant facere in suis parochiis, sine conscientia et consilio sui metropolitani, nec metropolitanus sine eorum consilio. » Item in eodem libro, cap. 28. « Ut si clerici, vel monachi inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo dijudicentur, non a sæcularibus. » Item in eodem libro, cap. 38. « Ut clerici ecclesiastici ordinis si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos judicentur, non apud sæculares. » Item in eodem libro, cap. 77. « Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesie esse vota fidelium, prelia peccatorum, et patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis, de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum, et Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram, vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exem-

plum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiantur. »

Et hoc cum aliis capitulum quod sequitur, vos ipse manu propria in villa quæ dicitur Colonia, consensu episcoporum, et Warini, ac aliorum optimatum vestrorum, anno iv regni vestri confirmastis, et per Ricuinum Ludovico fratri vestro misistis : « De honore videlicet, et cultu Dei, atque sanctarum ecclesiarum, quæ, auctore Deo, sub ditone et tuitio-  
ne regiminis nostri consistunt, communiter, Domino mediante, decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis domni ac genitoris nostri exultæ ac honoratæ, atque rebus ampliatae fuerunt, salva æquitate ratione ita permaneant. Et quæ a nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cætero sub integritate sui serventur. Et sacerdos ac servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia juxta reverenda auctoritatem obtineant. Eisdem vero regalis potestas, et illustrium virorum strenuitas seu reipublicæ administratores, ut competenter suum ministerium exsequi valeant, in omnibus rationabiliter ac juste concurrant. »

Et hoc cum aliis capitulum quod subsequitur, in Belgivaco civitate, anno vi regni vestri coram Deo et angelis ejus, in fide et dextera vestra, per spatam<sup>a</sup> vestram jurantes, sicut præsentis episcopi qui adfuerunt petierant, illis et cæteris episcopis regni vestri, ac successoribus suis, et eorum ecclesiis cunctis diebus vitæ vestræ vos servaturos promisistis, petentibus : « Ut jus ecclesiasticum, et legem canonicam nobis ita conservetis, sicut antecessores vestri, qui hoc bene et rationabiliter observaverunt, juxta quod sciri poterit, et Deus vobis posse dederit, nostris prædecessoribus conservaverunt. »

Et hoc cum aliis capitulum quod subsequitur, anno Incarnationis Dominicæ dccccli in loco qui dicitur Marsana cum fratribus vestris Waltario [Lothario] et Ludovico manu propria per consilium et consensum fidelium vestrorum communium communiter confirmastis : « Ut nostri fideles unusquisque in suo ordine et statu veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc in ante, contra legem et justitiam, vel auctoritatem ac justam rationem, aut damnabimus, aut dehouorabimus, aut opprimemus vel indebitis machinationibus affligemus; et illorum, scilicet veraciter nobis fidelium, communi consilio, secundum Dei voluntatem, et commune salvamentum, ad restitutionem sanctæ Dei Ecclesie, et statum regni, et ad honorem regium, atque pacem populi commissi nobis pertinentia assensum præbemus, in hoc ut nulli non solum non sint nobis contradicentes et resistentes, ad ista exsequenda, verum etiam sic sint nobis fideles et obediens, ac veri adjutores, atque cooperatores vero consilio, et sincero auxilio ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu, suo principi, et suo seniori esse debet. »

<sup>a</sup> *Spatam*, épée.



Et hoc cum aliis capitulum quod subsequitur, in synodo apud Suessionis civitatem, in monasterio sancti Medardi, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo tertio vos servaturos professi estis: « Denuntiandum est omnibus, et a missis nostris ordinandum, ut omnes Ecclesiæ presbyteri sub immunitate, ac privilegio, et ordinatione atque dispositione episcoporum singularum ecclesiarum in quibus consistunt, secundum cononicam auctoritatem et capitularia domni Caroli imperatoris avi nostri, et pii augusti Ludovici domni et genitoris nostri permaneant. »

Et hoc quod subsequitur, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo octavo, regni autem vestri decimo septimo, in Carisiaco palatio, consensu episcoporum ac cæterorum fidelium vestrorum sponte manu propria confirmastis: « Quantum sciero, et rationabiliter potuero, Domino adjuvante. unumquemque vestrum secundum suum ordinem honorabo et salvabo, et honoratum et salvatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione, conservabo. Et unicuique competentem legem et justitiam conservabo. Et qui illam necesse habuerit, et rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibeo; sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare et salvare, et unicuique competentem legem et justitiam in unoquoque ordine conservare, et indigentibus et rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere; et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malivolentiam vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero voluntarie illud emendare curabo. »

Postea etiam in villa Breona, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo octavo, quando nos transmisistis ad excommunicandum fratrem vestrum, et populum qui cum eo super vos venerat, ut ab evasione regni vestri, et effusione sanguinis vestri, et fidelium vestrorum se cohiberent, hæc talia plura vos servaturos cunctis diebus vitæ vestræ nobis et omnibus episcopis regni vestri, et ecclesiis nobis commissis, et universis fidelibus vestris legem et justitiam vos servaturos coram Deo et angelis ejus cum lacrymis publice professi fuistis.

Cæterum apud Confluentes, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo, firmitas quæ subsequitur inter vos et fratrem vestrum, ac nepotes vestros facta, est, quam idcirco hic posui, quia Dei voluntas, ei sanctæ ipsius Ecclesiæ status, et honor atque defensio, et populi Christiani nobis commissi, ubi non sexus, non dignitas, non ordo excipitur, salus, pax, et legis ac justitiæ, atque rectæ rationis conservatio, et vestra communis salus et honor est, ne per oblivionem de his quæ ad eos pertinent, vobis

‡ Conc. ap. Confluent., an. 860.

‡ Conc. Afric., can. 15.

ab aliquo subripi possit, nec a quocunque vobis de ad vos pertinentibus contra firmitatem subripiatur. Firmitas autem ita se habet: « Amodo, et quandiu vixero, istum fratrem meum natura, et nepotes meos natura, ad Dei voluntatem et sanctæ ejus Ecclesiæ statum et honorem atque defensionem, et ad nostram communem salutem et honorem, et ad populi Christiani nobis commissi salvamentum et pacem, et ad legis ac justitiæ atque rectæ rationis conservationem, quantum mihi Deus scire et posse donaverit, et ipsi me obaudierint, et a me ipsi quæsierint, vero consilio, et secundum ut mihi rationabiliter et salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adjutor ero. » Et reliqua<sup>a</sup>.

Juris autem ecclesiastici leges Spiritu Dei conditæ, et ipsius sapientia qua conditores legum justa decernunt, decretæ, quibus sancta moderatur Ecclesia, et, ut sanctus Leo dicit, totius sunt mundi reverentia consecratæ, quos episcopis regni vestri, et sibi commissis ecclesiæ vos servaturos vovistis et promisistis, manifestæ sunt. Quas qui non observat sine dubio contra Dei voluntatem, et sanctæ ipsius Ecclesiæ statum et honorem atque defensionem, contraque suam salutem, et justitiam atque directam rationem facit. De quibus legibus hic pauca, et causæ unde agitur convenientia, ad memoriam vestram studui revocare.

« Quisquis, inquit sacrum Carthaginense concilium, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, seu reliquorum clericorum, cum in ecclesia ei fuerit crimen constitutum, vel civilis causa fuerit commota, si, relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali; in civili vero, perdat quod devicit, si locum suum obtinere maluerit<sup>b</sup>. »

Et in beati Gregorii decretis ex Romanis legibus, factis canonicis ad Joannem defensorem constitutum est pro qualicunque civili vel criminali causa, quemcunque judicem non licere invitum episcopum ad judicium publicum provocare, producere vel exhibere. Sed si a clerico vel aliquocunque altercatio contra episcopum propter quamlibet causam fiat, apud metropolitanum vel primatem provinciæ secundum sanctas regulas causam judicari debere. Et si quid judicatis episcopus contradixerit, ad beatissimum sedis Romanæ pontificem causa referatur. Et ille secundum canones et leges huic causæ præbeat finem. Et sacrum Carthaginense concilium decrevit, ut « Quisquis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator<sup>c</sup>. » Et sanctione legis Gratiani, Valentiniani et Theodosii specialiter prohibetur: « Ne quis audeat apud judices publicos episcopum accusare; sed in episcoporum audientiam proferre non differat quidquid sibi pro qualitate negotii putat posse competere, ut in episcoporum aliorum judicio quæ asserit contra episco-

<sup>a</sup> Ibid., can. 19.



pum debeant definiri. » Et in decretis beati Gregorii ad Joannem, ex lege Gratiani, Valentiniani ac Theodosii : « Et in privatis, inquit, causis hujusmodi forma servetur, ne quemquam litigatorum sententia non a suo iudice dicta constringat. » Et item ibi : « Necessè est ut quod contra leges factum est firmitatem non habeat. »

Et Carthaginense concilium statuit : « Ut accusatus vel accusator in eo loco unde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur \* . » Et lege Valentiniani atque Valentis decernitur, ut ultra provinciæ terminos accusandi licentia prohibeatur.

Et Africanum concilium : « Per episcopos, inquit, iudices causa finiatur, sive quos ei (conquerentibus) primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint <sup>b</sup>. » Sicut in sequenti articulo dicitur, quod servari de causis in legibus constitutis, sicut sua loca demonstrant, et sanctus Gregorius decrevit. Et item sacri canones et decreta sedis Romanæ pontificum, annis singulis per unamque provinciam bis in anno concilia celebrare præcipiunt; ut communiter simul cum omnibus episcopis congregatis, provinciæ discutiantur quæstiones, et omnes controversiæ dissolvantur.

Et item sacri canones Antiocheni et Gangrenses, atque decreta sedis Romanæ pontificum jubent, ut « Quæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine et conscientia bona, et fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat iudicatque servantur. Quæ etiam dispen-

\* Conc. Afric., can. 30.

<sup>b</sup> Ibid., can. 120.

<sup>c</sup> Conc. Antioch., can. 24 et 25.

missus est populus, et animæ quæ intra ecclesiam congregantur. » Et : « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia et timore Dei. Participet autem et ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis quam fratrum qui ab eo suscipiuntur necessariis usibus profuturis \* . » — « Si quis autem oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, ve ejus cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. » Et : « Si quis dederit vel acceperit oblata, præter episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus : et qui dat, et qui accipit, anathema sit <sup>d</sup>. »

<sup>B</sup> E, concilium Chalcedonense decrevit : « Res ecclesiasticas secundum sententiam episcopi dispensari, et redditus ecclesiæ viduatæ penes æconomum ejusdem ecclesiæ integros observari \* . »

Et sanctus Stephanus papa et martyr : « Quidquid in sacratis, loquitur, Deo rebus et episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputabitur. »

Et Cathaginense concilium sub Grato episcopo, juravit ut « Si quis statuta supergressus corruerit, vel pro nibilo habenda putaverit, si laicus est, communionem, si clericus est, honore privetur <sup>f</sup>. » Quia, ut sanctus papa Hilarius decernens dicit : « Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam Domini prosilitur. » Unde necesse est ut quæ juste et rationabiliter vovistis et promisistis Domino conservetis, jubente Dei Spiritu per prophetam ; *Vovete, et vota vestra reddite Domino Deo vestro (Psal. LXXV).* «

<sup>d</sup> Conc. Gangren., can. 7 et 8.

\* Conc. Chalcedon., can. 25.

<sup>f</sup> Conc. Carthag., an. 348, can. 14.

### XIII.

## CAPITULA IN SYNODO APUD S. MACRAM AB HINCMARO

### PROMULGATA.

(Apud Labbeum, Conc. tom. VIII.)

Synodus quæ fuit acta apud sanctam Macram, in loco qui dicitur Finibus Rhemensis parochiæ \* ; tempore Ludovici régis, filii Ludovici Caroli filii, die iv Nonas Apriles, anno Christi 881, Joannis papæ VIII, anno ix, Ludovici ejusdem régis anno xi (*Imo II duntaxat, ut bene Sirmondus*).

#### PRÆFATIO.

Diversarum provinciarum episcopi, quorum nomina tenentur subter ascripta, qui ante nequivimus, diversis occupationibus, tam paganorum infestationibus quam pravorum Christianorum insectationibus, præpediti, nunc anno incarnationis Dominicæ

\* Hodie *Fimes* vocitant, celebre oppidum martyrio et cultu sanctæ Macræ virginis. Olim *Fines* dicebant quia in finibus pagi Rhemensis et Suessio-

<sup>A</sup> 881, indictione 14, iv Nonas Apriles, maxima necessitate compulsi, apud martyrium sanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Rhemensis parochiæ, in nomine Christi convenimus. Ab omnibus qui justè et pie in communionem catholicæ Ecclesiæ, quæ Christi est corpus, vivere volunt, ea quæ sequuntur, Domino nunci. Itinerarium vetus ; *Augusta Suessorum Fines. Durocortum Rhemorum. SIRM.*